



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 213. Quid intelligatur per Falcidiam & Trebellianicam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

ad hæredem. R. Satis colligi potest ex dictis p. 1. à n. 337. & à n. 477. item hic à n. 237. & à n. 490. & n. 1046. potestque etiam videri *Lugo* d. 23. à n. 98. Et universaliter notandum est, quod hæres teneatur perficere negotia à defuncto inchoata & nondum finita, L. *Hæres.* 40. ff. Pro Socio: L. *Nam & Servius,* §. 2. ff. De negot. gestis. Adde tamen, si testator dixerit, *hæres meus infrascriptus* (qui est v. g. *Titius*) *peregrinetur pro me Lauretum, aut det 100. aureos pauperibus*, si *Titius* non fuerit peregrinatus, *Cajus hæres Titii* non satisfacit peregrinando, sed debet dare 100. aureos pauperibus, quia Td *infrascriptus* notabat solum hæredem immediatum, obligatio autem realis *Caji* est inde, quia repræsentat personam *Titii*, qui quia peregrinationem non explevit, tenebatur ad istam eleemosynam, ita *Sanch. in Dec. I. 4. c. 15. num. 31. Lugo in Resp. mor. I. 6. dub. 13.* ubi universim examinat, an hæres hæredis teneatur ad poenam à testatore impositam. An autem obligatio restituendi famam transeat ad hæredem, dicetur n. 1256. Denique hic notandum, si testator in vivis habuerit piam voluntatem aliquid faciendi, v. g. fundandi beneficium, si hæredi vel hæreditati non imposuerit eam obligationem, sicuti voluit testator ex devotione facere, ita poterit hæres pro libertate omittere.

1170 Q. 213. *Quid intelligatur per Falcidiam & Trebelianicam.* R. §. 1. *Falcidia* est ea pars bonorum, quam detrahit hæres à legatis vel donationibus mortis causâ factis, quoisque impleat suam Legitimam per illa legata vel donationes imminutam, si sit hæres necessarius; aut quoisque separat quartam partem bonorum, si sit hæres, cui nulla debeatur Legiti-

Legitima, cùm enim olim liberum esset totum patrimonium erogare in legata , sicque hæreditibus sæpe nihil superesset , ac propterea hæreditatem respuerent , lata est *lex Furia*, primùm prohibens uni legatario legari ultra 1000. aureos ; deinde etiam *lex Voconia*, prohibens, nè quis plus relinqueret alicui, quām hæredi : sed cùm neutra adhuc sufficeret , lata est *lex Falcidia* , sic dicta à *Falcidio* Tribuno, qui illam tulit, quācavetur, ne plus lega-re liceat, quām dodrantem seu tres partes omnium bonorum , ita ut hæredi semper remaneat quarta pars omnium , quæ inveniuntur in morte testatoris, post soluta priùs debita, expensas funeris ac mercedem servorum , habentur hæc Instit. De lege *Falcidia* , & Cod. Ad legem *Falcidiā*, addit-que etiam aliqua Busenb. relatus n. 1153. in fine.

§. 2. Per Trebellianicam hīc intelligitur quarta pars hæreditatis , quæ competit hæredi fideicommissario , nam sicuti per *Falcidiā* positum est temperamentum legatis , ita fideicommissis per S. C. Trebellianum, sic dictum, quia *Trebell.* Consule factum est , quo statuitur , ut hæres fideicommissarius rogatus totam hæreditatem restituere , possit quartam partem sibi retinere , ut̄ habetur §. 7. Instit. De fideicomm. Hæredit. & Cod. Ad S. C. Trebellianum , possuntque de *Falcidia* & *Trebel-*lianica plura videri apud *Haun.* t. 7. c. 4. per 9. controversias.

Q. 214. Quid agendum sit in dubio , an fraus com-missa sit circa testamentum. Bz. Sic dubitans potest vi testamenti adire hæreditatem , quia fraus , utpote delictum , non præsumitur : si tamen probabiliter adfuit fraus, & nemo est in possessione, Tambur: in Dec. I. 1. c. 3. §. 7. V. Testamentum , dicit hæredita-
tem
Tom. II. Aaa